

eti? Sed forte hoc isti ex eo colligunt quod ex Dominica voce audiunt. Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum. Sed nunquid non idem dictum est ab eodem Domino de verbo contra Spiritum sanctum dicto? Qui dixerit, inquit, verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quot, quæso, homines poterunt inveniri qui audeant ut dicant; nunquam; verbum aliquod contra Spiritum sanctum dixisse. Nunquid cæteri omnes desperandi sunt qui hoc dicere non præsumunt? Nunquid de semetipsis desperare debent qui hoc dicere non audent? Sed si per hujusmodi doctrinam bos vel asinus in puteum desperationis cadat, timeo ne animalium Dominus animalium hominum pretium de manu doctoris, imo dejectoris requirat.

Sunt autem quidam temporaliter rei temporalis et transitorii delicti, et sunt quidam æternaliter rei temporalis et transitorii delicti. Item sunt alii æterni delicti æternaliter rei. Cur non sint et alii æterni delicti temporaliter rei? Adulterium in tempore actualiter fit et transit, et adulterantem reum constituit, sed temporaliter reum si veraciter poenituerit, æternaliter autem si poenitere noluerit. Qui cum Dei odio de hac vita transit, æterni delicti æternaliter reus erit. Sic et delictum quod, juxta quod diximus, potest dici æternum, veraciter poenitentem non nisi ad tempus constituit reum. Siquidem possunt esse æternaliter rei temporalis delicti juxta divinam justitiam, cur non aliqui credantur esse ad tempus rei æterni delicti juxta divinam misericordiam? Miserationes ejus super omnia opera ejus. Ejus siquidem miserationibus nihil est mirabilius, et eo ipso super omnia opera ejus. Consideremus adhuc quid Marcus de suo adjungat ad ea quæ Dominus dixerat: *Quoniam dicebant, inquit, Spiritum immundum habet (Marc. iii)*. In his verbis videtur evangelista rationem reddere; unde contingit Dominum de pessimo genere blasphemandi ista dis-

serere. Ostendit ergo evangelista quod idcirco Dominus eos doceret de blasphemiam quæ remissionem non habet, quoniam dicebant quod spiritum immundum haberet. Absque omni ambiguo ista Christi contumelia erat detestabilis blasphemiam. Sed istud, quæso, blasphemiam verbum fuit contra ipsum hominis Filium; an contra Spiritum sanctum? Sed si dicitur contra Filium hominis esse, erit verbum remissibile; si contra Spiritum sanctum, erit irremissibile. Sed si dicitur remissibile verbum, nihil ad eam blasphemiam quæ non habet remissionem infernum, et juxta hoc quod evangelista subjungit, nihil respondet ad Dominica verba quæ præmisit. Compellit itaque coherentiam dictorum credere Christi calumniosiores blasphemasse in Spiritum sanctum. Quid ergo dicemus? Nunquid in illum peccabant quem non vituperabant, et in illum non blasphemabant quem verbis suis profanabant? Quis ad ista idoneus? Auctoritate itaque simul et ex ratione possumus aperte colligere Christi profanatores non per ignorantiam, sed per solam malitiam tam æquiter blasphemasse. Intelligebant absque omni ambiguo neminem posse talia signa facere nisi Deus caset cum illo. Quoniam ergo per solam malitiam blasphemabant, in eum cui bonitas specialiter attribui solet, peccabant, et eo ipso quantum ad id genus peccati acerbissimæ poenæ alleviatione et remissione indigni erant. Nam, si per ignorantiam peccassent et in ipsum qui Dei sapientia est deliquissent, in poenitendo peccato remissius ageretur cum ipsis, et in eo recipere aliquid remissionis. Ex his Domini verbis manifeste colligitur quod quædam quæ omnibus personis communia sunt, quibusdam personis non sine magno mysterio appropriantur. Multa sunt adhuc circa hæc Dominica verba diligenti investigatione digna. Verum hoc melius atque consultius profundioribus ingenii relinquamus. Super eo quod a me quæsisit dixi quod potui. Si insipiens factus sum, tu me coegisti.

## DE DIFFERENTIA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

Quoniam quæstioni tuæ non potui satisfacere verbo, conabor ut, si fieri potest, satisfaciam vel scripto. Dicis quod a magistris didiceris quod veniale peccatum temporali poena punitur, mortale vero perpetuam poenam meretur. Hinc igitur pergis ad inquirendum de his qui, secundum Job, ducunt in bono dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job. xxi*), si cum veniali et mortali peccato deprehensi fuerint et præventi, utrum ad illud poenæ quod sustinent pro mortali aliquid adjicitur pro peccato veniali. Sed hoc negare non ausus sum, pro eo quod nullum peccatum creditur impunitum. Sed adhuc pergis et quæris utrum adjectio illa sit eis æterna. Sed nec hoc ipsum negare præsumo

legens et credens, quia in inferno nulla est redemptio. Quæ est ergo illa, inquit, magistrorum nostrorum sententia, qua inter utrumque distinguitur, si utrumque æterna poena mulctatur? et quomodo veniale dicitur, si nil veniæ in æternum meretur? et si meretur, quid est quod a justo Judice in æternum nil veniæ impenditur? Nonne hujusmodi quilibet æternæ morti addictus videretur, etiamsi, sublata omnium criminalium poena, hanc solam quæ ei pro veniali infligitur in æternum pateretur? Nonne etiam secundum hoc peccatum etiam tale rectius diceretur mortale quam veniale? Nam in veniale dicitur respectu gravioris peccati: simili ratione fornicatio potest dici veniale peccatum respectu

adulterii, et adulterium respectu flagitii. Hæc sunt A  
quæ objicis, et unde miraris. Sed, sicut convincere  
niteris ex una consideratione utraque de dictis pec-  
catis esse mortale, miror cur non æque ex alia con-  
sideratione attendis, et simili ratione contendis  
utrumque esse veniale. Nam, sicut in quibusdam  
utrumque æterna pœna punitur, sic in quibus-  
dam utrumque temporali pœna purgatur. Sicut  
enim in non pœnitentibus, sed contemnentibus  
utrumque percutitur pœna æterna, sic in confi-  
tentibus et vere pœnitentibus utrumque mun-  
datur pœna transitoria. Quid ergo? Eritne utrum-  
que veniale et non veniale, mortale et non mor-  
tale? Sed, si vis inter utrumque recte discernere,  
attendere debes quid utrumque faciat per se  
sine alterius adjectione. Ecce unus aliquis multis  
meritis dives cum uno qualicumque veniali pec-  
cato ab hac vita discessit; morte præventus, lo-  
cum confitendi vel pœnitendi habere non potuit:  
nunquid pro eo æternam mortem incurret, et non  
potius, pœna temporali purgante, veniam percipiet?  
Ecce alium aliquem in multis bonis exercitatum  
contingit subito in unum aliquod mortale peccatum  
cadere, et subita morte præventum confitendi, vel  
pœnitendi spatium omnino non habere: nunquid  
eum putas ab æterna morte per transitoriam pœ-  
nam posse evadere? Quis hoc dicat, vel dicere  
presumat? Ex his, ut arbitror, animadvertere licet  
quid in his duntaxat qui in Christum credunt  
utrumque faciat per se, et quam merito unum ven-  
iale, alterum dicatur mortale. Ecce, ut arbitror,  
B  
a-  
sertio mea non multum distat a magistrorum  
tuorum sententia, si pensamus potius sensum quam  
verba. Ut de eo quod quaeris dicam quid sentiam,  
et breviter inter veniale et mortale peccatum di-  
stinguam, videtur mihi veniale peccatum quod in  
Christo renatis per se solum nunquam inducit æter-  
num supplicium, etiamsi defuerit pœnitentiæ reme-  
dium. Mortale vero peccatum etiamsi fuerit solum,  
si pœnitentiæ remedium defuerit, æternam mortem  
inducit. Veniale itaque peccatum in Christo renatis,  
quantum in se solo est, semper pertinet ad veniam,  
mortale vero, quantum in se solo est, semper perti-  
net ad mortem æternam. Mortale peccatum, quan-  
tum mihi videtur, triplici recte ratione distinguitur.  
Mortale est quod a quovis non potest committi sine  
grandi corruptione sui. Item, mortale est quod non  
potest committi sine gravi læsione proximi. Mortale  
nihilominus quod non potest committi sine magno  
contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi  
venialia. Veniale peccatum est reatus cui, quantum  
est in se solum, lide meliante, nunquam debetur  
æterna damnatio. Mortale peccatum est reatus  
cui, quantum est in se solum, semper debetur æterna  
damnatio.

*Patris eleemosyna non erit in oblivionem, et pro  
peccato matris restituetur.*

*Eleemosyna patris non erit in oblivionem; nam pro  
peccato matris restituetur tibi bonum (Eccle. iii).*  
Prima ex his sententiis, inquis, potest intelligi. De  
alia nescio quid velis sibi. Videamus ergo de prima.  
Si dicimus eleemosynas non posse venire in obli-  
vionem hominum, videbitur sententia falsa, si non  
fallit illa Salomonis sententia: *Non est priorum  
memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura  
sunt erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novis-  
simo (Eccle. i).* Si ad Dei memoriam refertur quod  
dicitur, sententia non tam falsa quam frivola vide-  
bitur. Nunc, quaeso, frivolum videtur dicere ele-  
mosynas ei non esse in oblivione, de quo constat  
quia nihil omnino possit sibi in oblivionem venire?  
Si igitur superficialiter considerentur, forte alicui  
videbitur una harum sententiarum frivola, alia falsa.  
Quomodo pro peccato matris non potius ira resti-  
tuenda credetur quam gratia? Sed in qualicumque  
divinarum Scripturarum quam non aliquid falsum,  
tam nec audent dicere aliquid frivolum.

Notandum itaque diligenter quod dicitur. Non di-  
cit eleemosyna hominis, sed eleemosyna patris. Ad  
filium itaque relatio fit, in eo quod Scriptura de patre  
dicit. Tunc namque eleemosynæ patris quasi oblivioni  
traditæ videntur, quando pro eis nihil omnino gratiæ  
filio divinitus impenditur. Quid ergo vult Scriptura  
sacra hoc loco docere, nisi quod in filio est, ut quan-  
tum ad ipsum eleemosynæ patris sui sint vel non  
sint in oblivione, et (quod multo mirabilius est) ut  
possit illi etiam peccatum matris prodesse? Vide  
mirandum, nec tamen falsum. In te est ut nulla gra-  
tia impendatur tibi pro bono patris. In te nihilomi-  
nus ut bona gratia restituantur tibi pro malo matris.  
Dicit itaque Scriptura tibi quid possit fieri, sed  
modum implendi tuæ relinquit discretioni. Utraque  
itaque sententia sit tibi pro emblemate: nam in  
utraque opus est divinatione. Vis ergo breviter au-  
dire quonam modo possit tibi bonum patris pro-  
desse? Patrem venerandæ, simul et imitando. Vis et  
illud similiter nosse quonam modo prodesse pote-  
rit tibi etiam malum matris tuæ? Matrem vene-  
rando, nec tamen imitando. Quod autem dicitur de  
eleemosynis patris, poterat veraciter dici de ele-  
mosynis matris; et e converso, quod dicitur de  
peccato matris, poterat dici de peccato patris: sed  
pro more sacræ Scripturæ, quod utrobique tacetur,  
utrobique innuitur. Illud tamen notandum quod pro-  
blem suam tam mater quam pater fovet et nutrit  
dulcius, et eo ipso a prole sæpe amatur ardentius.  
Inde fit ut sit velut naturale, et pene inevitabile  
vitia matris assuescere majus itaque meritum  
videtur ex odio iniquitatis illius malum vitare quem  
plus diligis, et e converso virtutis amore minus  
amati bonum imitari.